



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitæte, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

De Raptu, paragr. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

nam. 57. 1 De hac re lege novissime Thom. Hurt. debito benignius loquentem p. 1. tr. 1. c. 5. rfs. 10.

53. Ad posteriorem puto, mulierem sic accipientem non obligari ad restitutionem; ratio est, quia recipiendo non peccavit contra iustitiam; iam enim liberaliter dedit amicue, sciens, ut supponimus, mulierem, neque explicitè, neque implicitè ea acceptare cum pacto copulæ: liberalitati autem, non ex iustitia, sed ex gratitudine, sine obligatione restitutionis, datur retributio. Quare si sua spe frustratur amarius, sibi suæque credulitati imputet; sicuti quando quis inseruit, vel munera gratis dat Principi vel Episcopo, intentione conquirendi dignitatem, vel beneficium, quod deinde non confertur, principem nullo modo ad restitutionem urget, sed suam inanem spem merito deplorat.

CAPVT SEXTVM.

§. I.

De raptu.

1. **I**N Methodo sic habes. a in duobus differt raptus à stupro: primò, quia stuprum semper est cum virgine, at raptus est de quacunque muliere, imò etiam puero, qui sane raptus est omnium turpissimus.

a *In Meth. Conf. li. 2. c. 7. §. 9.*

2. Secundò, stuprum solum dicitur violentiam, vel ad summum fraudem: at raptus præter violentiam, addit abductionem: b est enim raptus

peccatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur, cum violentia, ad turpem actum cum ea exercendum. Addit igitur malitiam contra iustitiam, atque adeo specialiter confitendam.

b *Fill. to. 2. tr. 30. c. 6. & me cit. Diana. p. 9. tract. 8. ref. 2. citatisque Hurtado, Præposito, alijsq.*

3. Abductio sponsæ de futuro, ut item sponsæ de præsentì, id est, conjugis per duos menses ante consummationem matrimonij, ad quod consummandum prædictum tempus conceditur; abductio, inquam, ejusmodi sponfarum, si est ad finem ritè complendi matrimonium, non est raptus: quia, etiam repugnantibus parentibus, non est abductio ad id, quod est prohibitum: sed si est ad illicitum finem, explendæ scilicet libidinis, erit raptus speciatim in confessione manifestandus.

§. II.

Additio.

1. **A**D raptum tria a ex dictis requiruntur: primò, vis illicita: secundò, finis inhonestæ libidinis, in qua includitur finis matrimonij contrahendi; nam eo modo, id est, violenter matrimonium velle, inhonestæ libido est: tertio, abductio. Nonnulla addamus de singulis.

a *l. fuse Sanchez lib. 7. de matr. d. 12. & 13. Less. li. 4. c. 3. d. 9. alijsq.*

2. Vis illata. Quare si vis inferatur renitenti mulieri cuicumque, etiam non virgini, quamvis parentibus

C c

volens